



2. F. F. 2. S.
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
CELEBERRIMI AUTORIS

De
RATIONE STATUS
Dissertationem XI. & XII.

De
**ORDINUM IMPERII LIBERTA-
TE, AC DE ÆRARIO ET
COLLECTIS,**

Cum adjuncta Qvæstione
*An doctrina juris Romani de Servis
magnum habeat usum in Servis
nostris à Turcis captis?*

Publicè ventilabunt
Die XXI. Septembr. M DC XCVI. à X. ad XII.
& pomeridianis à III. ad V.

CHRISTIANUS THOMASIUS,
& Respondens
JOHANNES HEINRICUS Schlüter /
Berolinensis.

HALAE MAGDEBURGICAE
Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT.
BRANDENB. Typ.

re-
ve
ft,
di.
on
io-
us,
nes
in-
ng,
teft
So-
nac
tur,

Non
ne
erit,
e





QVÆRO VI.

An doctrina juris Romani de Servis
magnum habeat usum in servis nostris à Turcis
captis? Non videtur.

§. I.



Vi magnum usum Juris Romani in
foris Germaniæ esse defendunt, de primâ ta-
men personarum divisione communiter fa-
tentur, Institutiones Justiniani non ma-
gnum usum habere, partim quod differen-
tiæ libertinorum & horū ab ingenuis à Justi-
niano ipso jure novo sint sublata, partim quod & totum jus Ju-
stinianeum ob servitutem inter Christianos sublatam, hâc par-
te applicationis occasionem ad facta apud nos obvenientia
nullam habeat. Quæ ratio si sola esset, uti communiter sola
profertur, sequeretur minimum, jus Romanum aliquem usum
habere in servitute, quæ hodiè moribus Germaniæ non est sub-
lata, qualis experientiâ testante, obtinet intuitu infidelium
à nobis captorum & vice versâ intuitu nostrorum ab infideli-
bus captorum, quia servi etiam sunt apud Romanos, qui ab ho-
stibus capti sunt.

§. II.

Sed nos alias subesse rationes arbitramur, quod jus Roma-
num apud nos in hâc materiâ nullum habeat usum, quia vi-
delicet ut alibi docuimus, non latius usum habet Jus Roma-
num, quàm quatenus in Germaniâ est receptum, uti verò in
paucissimis materiis receptum esse ibidem diximus, ita & vide-
tur in materiâ servitutis, quæ apud nos adhuc frequentatur, non
esse receptum, imò (quatenus Civile est, & capita juris naturæ

ac

ac gentium circa servos non repetit,) nec recipi potuisse. Posset hæc materia justo tractatu expediri; at cum & temporis & chartæ sit habenda ratio, per indicem saltem ac summatim eam tractabimus, & propterea nec leges Romanas allegabimus. Cave tamen putes nos absque lege loqui. Is enim cum lege loquitur, non, qui plaustra legum allegat, sed qui loquitur ea, quæ legibus continentur.

§. III.

Et initio quidem apud nos servi tales nascuntur ex ancillis nostris, quia ratio naturalis hoc vult, ut partus sequatur ventrem. At non fiunt ex captivitate omni, uti apud Romanos, sed saltem si ab infidelibus capiantur. Cur vero sit sublata servitus inter Christianos, communiter hæc ratio affertur, quod sit inter eos bellum plus quam civile. Quæ mihi semper fuit suspecta visa. Etsi enim thesis ipsa de bello plus quam civili rectè explicata tolerari possit, connexionem tamen non video, quia eadem ratio svadebat quoque bella esse non debere inter Christianos. Sepono tamen disquisitionem eâ de re ad occasionem aliam. An & nostri capti ab infidelibus apud nos pro Servis habeantur? valdè dubito. Sed puto eos & patriam potestatem, & jus Conjugii, & Dominium rerum suarum, & testamenti factionem &c. retinere, cum in his capitibus magis sequamur Jus Divinum & Jus Gentium, quam Jus Romanum, & Peregrinis conjugium, patriam potestatem, Dominium & testamenti factionem sine dubio indulgeamus. Unde nec fictio legis Cornelie, nec fictio juris Postliminii, nec aliæ subtilitates Romanæ huc pertinentes habebunt locum apud nos.

§. IV.

Fiebant etiam servi apud Romanos, si quis liber homo pretii participandi causa se venundari passus sit, si sententiâ in servitutem condemnatus fuerit, si ingratus à patrono fuerit revocatus, quæ omnia etiam in Turcis manumissis apud nos

) (2

ces.

cessare arbitror, quia causa quæ Romanos ad illam primam
pœnam impellebat, apud nos cessat, quia servitus pœnæ sub-
lata est, quia ingratitude causas Romanis hoc passu usita-
tas ignoramus, & genius Germanorum est, ut ingratitude apud
iplos tanto rigore non puniatur.

§. V.

Igitur si statum Germaniæ cum statu Italiæ & Romano
conferre velimus, deprehendemus, quod alius longè status sit,
liberorum hominum & horum servorum apud nos quàm olim
apud Romanos. Magna privilegia Civium Romanorum e-
rant, quibus etiam viliores de plebe gaudebant, quæ liberi &
cives, neque distinctio hæc parte erat inter rusticos & urba-
nos homines, nisi fortè in eo, quod rusticarum tribuum cives
olim apud Romanos pro nobilioribus habebantur, quàm ur-
banarum. Ipsi Romani cives magnis abundabant opibus,
& plurimi inter ipsos Principes divitiis, splendore, luxu æqua-
bant. Inde tot servorum diversissima munia, inde tantus
mancipiorum numerus, ut Lege Fusiâ Caniniâ cautum
fuerit, si quis ultrà centum servos haberet, non posse manumit-
ti, nisi partem quintam, ita tamen ut ultrà centum manu-
mittere non liceret, h. e. etiam si quis ultrà quingentos habe-
ret, quem casum frequenter fuisse obvium verosimile est, aliàs
de eo non fuisset lex concepta. Servi ipsi in tantâ copiâ edu-
cabantur & aptabantur ad mores Romanos, & nulla differentia
videtur observata fuisse, quàm conditionem apud Suos obtinue-
rint capti, ita ut etiam nobilissimi in servitute retinerentur,
& sæpè plebejis servirent, neque alia spes emergendi quàm
applicatio vel ad bonas artes, vel ad insigniter malas, & cum ma-
gnâ astutiâ conjunctas. Hinc non solum multi servi, præpri-
mis novioribus temporibus, ubi Jus vitæ & necis erat subla-
tum, reipsâ non deterioris conditionis erant, si non melioris,
quàm apud nos Aulici apud quosdam Principes vel parum po-
tentes, vel parum divites, sed & sæpè spem habebant partici-
pan-

pandi imperii summi, quod tot querelæ apud Historicos de Potentiâ Libertorum testantur. Apud nos autem pleraque sunt inversa. Olim quidem, cum adhuc saperemus, in eo Romanis eramus æquales, quod nobilissimi essent rustici & vilissimi atque mancipia urbes incolerent. At hodiè cultura morum uti alia damna infinita, ita & hanc introduxit, quod ambitio urbanos quidem suprâ rusticos extulerit, sed & his tamen nobilitatem ademerit. Unde libertas solâ potentiâ & divitiis æstimatur, viliores de plebe nomine liberi sunt, remanipia ditiorum & potentum, rustici verò in multis locis, non dicam durius tractantur quam nequissimus vappa inter servos Romanos, sed quam bestiarum, cum multi canes delicatius sustententur cibo, potu, lecto, quam multi rustici. Et tamen isti divites, isti potentes, ad potentiam & divitias civium Romanorum ne minimam partem comparandi sunt. Et quotus quisque est inter nos privatos, qui vel viginti mancipia sustentare possit? unde nec alia ferè officia servorum nostrorum sunt, quam ut stabularii sint, vel pedisequi. Servi ipsi in tantâ copiâ apud nos non sunt, & per brevissimi temporis spatium hæcenus vix mille mancipia per totam Germaniam dispersa in bello cum Turcis capta sunt. Horum ingenia horrida, ferocia, truculenta, & ad culturam parum apta. Neque curamus eorum educationem, aut aptationem, qui ne liberorum quidem nostrorum debitam habemus curam. Præterea vilissimos cepimus, & qui apud Gentem suam in aliquâ dignitate fuerit, inter mancipia vix conspicitur. Et tamen sæpè his hominibus tot & tanta crimina indulgemus, ut reverâ magis liberi sint, quam qui liberorum nomine gaudent, & non inaudita sint exempla etiam stuprorum violentorum in liberas ab iis impunè commissorum.

§. VI.

Status diversitas diversum Jus facit, & status modo memoratus liberorum pariter atque servorum, apud Romanos occasionem dedit multis legibus servos concernentibus, quæ non pot-

) (3

pot-

possunt non ad statum Germanorum diversum parum aptæ esse. Consideremus paululum potissima earum legum capita. Habent Domini nostri nullum jus vitæ & necis in servos à Turcis captos, non quod Jus Romanum ista disponat, sed quod jus vitæ & necis nullus privatus apud nos habeat. Coercitio modica Dominis concessa est, quæ ex Jure Gentium provenit, non ex Jure Romano. Posset & ex eodem Jure Gentium Dominus per Turcos captos acquirere, sed tam exigua sunt quæ ipsis donantur, ut turpe habeatur, si Dominus id lucellum Turcæ suo velit auferre, nisi fortè vestimenta magis luxuriantia ei perillas donatiunculas comparet. Si heredes instituerentur apud nos servi ejusmodi, locum quidem obtineret non solum Jus Gentium, sed &, si quæ hæc parte specialia disposuit Jus Romanum, quia in materia testamentariâ est receptum in Germaniâ; sed rationes, cur apud Romanos non ipse Dominus institueretur, sed servus, in nostris Turcis vix locum habebunt, ut casus aliquis sperandus sit, quo mancipium Turcicum sit institutum. Testamenta non faciunt quidem Turcæ nostri, non tam quod servi sint, sed quod nihil habeant de quo testentur, etiam si Domini, ut dixi, donaria iis relinquant.

§. VII.

Multa dicuntur in Jure Romano de servorum peculio, quia & ditissimi erant Romani, qui servis peculia varia concedere possent, & aptissimi servi ad ea administranda. Utraque ratio cum in Nobis & Turcis nostris non inveniat locum, inde & exiguum usum habebunt illæ quæstiones Romanæ de peculio servi legato, cui post manumissionem peculium debeat, &c.

§. VIII.

Actiones noxales plus æquitatis naturalis habent, quam subtilitatis civilis. Sed cum alibi dixerimus, apud nos cessare actionem furti & vi bonorum raptorum, cessabunt haud dubiè etiam istæ noxales. De damno dato & injuriâ possent obtinere, sed

sed partim quod potentiores saltem ejusmodi mancipia habeant, contra quos viliores parum obtinent, partim quod noxa deditio plus oneris quam commodi allatura sit plerumque auctori, & has rarissime in usum venire arbitror.

§. IX.

Jus naturæ dicitur, rem meam vendi posse. Unde & mancipia Turcica vendi poterunt. At dispositiones Juris Romani non habebunt locum in mancipiis nostris. Credo superfedere posse advocatum in addiscendis tricis Juris Romani, quæ in titulo de Ædilitio Edicto occurrunt, circa venditionem mancipiorum Turcicorum. Si enim ne quidem in venditione jumentorum observatur Jus Romanum, multo minus observabitur in venditione mancipiorum, præprimis quia in Novis Jurisprudentiæ Romanæ ostendimus probabiliter, Ædiles hoc edictum publicasse, ut dissidia multiplicarentur in populo. Taxatio etiam servorum, quæ in constitutione Justiniani de communi servo manumisso præscripta est, apud nos non habebit locum, partim quia distinctiones officiorum aut qualitatum, secundum quas diversa ibi taxa imponitur, ad nostros Turcas non quadrant, partim quia quæ ibi de notariis, medicis, evnuchis disponuntur, ex rationibus desumpta sunt, quæ apud nos longè aliter obtinent.

§. X.

Manumissio servorum hodiè fieret saltem Jure Gentium ex Regulâ, nihil est tam naturale, quam ut voluntas Dominorum, de re suâ disponentium effectum sortiatur. Unde quemadmodum jam tempore Justiniani manumissio per censum exoleverat, ita haud dubiè rideretur, si quis privatus vellet Turcam suam manumittere, vindictâ. Neque in Ecclesiis id commodè fiet, quia manumissio in Ecclesiis ideò olim facta, quod omnes contractus alicujus momenti ibi celebrabantur. Illa tamen in testamento habebit locum. Inter amicos & per Epistolam etiam adhiberi posset, sed duobus saltem testibus ad-

adhibitis, cum quinque testes apud Romanos videantur ex eadem causâ esse adhibiti, ex quâ quinque testes in testamento olim adhibebantur, quæ ratio apud nos non obtinet.

§. XI.

Quodsi tamen manumittatur, id parum proderit Domino ad jus Patronatus. Quî enim illud exercere posset, cum Turca manumissus non possit fieri civis, quippe neutri ex tribus Religionibus quæ in Imperio tolerantur, addictus. Ergo non in alium finem obtineret manumissio, quam ut possit securè in patriam redire. Id tamen obiter notes, parum cohærere mores nostros, qui religiones omnes tolerant in mancipiis, non in liberis hominibus, adeoque mancipia melioris conditionis sunt hoc respectu, quam liberi. Qualis absurditas?

§. XII.

Sed ponamus, etiam apud nos manere manumissos. Non videtur jus Patronatus ad mores quadrare. Operæ fabriles propriè ad id non pertinent, quia debebantur ex promisso. Sed honorariæ & officiales ex moribus magis Romanis oriuntur, quas si apud nos manumittens exigeret à manumisso. v. g. ut in curiam comitaretur, in templum &c. rideretur, nisi post manumissionem ex contractu locationis id debitum deduceretur. In materia successionis ab intestato non sequimur ubique Jus Romanum, & ubi sequimur, (quod & de successione testamentariâ intelligendum est,) saltem recepimus & introduximus in successione liberorum hominum. Igitur quæ Jus Romanum de Successione Patroni disposuit, quia apud nos receptum non est, non obtineret.

TANTUM.



00 A 6336

ULB Halle 3
002 928 728




56.

VD 17

Reho ✓





L. F. F. L. S.
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
CELEBERRIMI AUTORIS

De
RATIONE STATUS
Dissertationem XI. & XII.

De
**ORDINUM IMPERII LIBERTA-
TE, AC DE ÆRARIO ET
COLLECTIS,**

Cum adjuncta Qvæstione
*An doctrina juris Romani de Servis
magnum habeat usum in Servis
nostris à Turcis captis?*

Publicè ventilabunt
Die XXI, Septembr. M DC XCVI, à X. ad XII.
& pomeridianis à III. ad V.

CHRISTIANUS THOMASIUS,
& Respondens
JOHANNES HEINRICUS Schlüter /
Berolinensis.

HALAE MAGDEBURGICAE
Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT.
BRANDENB. Typ.

